

Zf  
4955





**FAVSTITATIS  
OMNE GENVS.  
IVVENI  
GENERIS, INGENII MORVMQVE  
NOBILITATE PRAECLARO,  
IOHANNI BVRCK-  
HARDO  
WICHMANNSHAVSIO,**  
 Wittenbergensi,  
 EX GYMNASIO FRIEDERICIANO ILLVSTRL.  
 QVOD ALTENBURGI FLORET.  
d. VIII. Cal. Apr. A. Q. R. M. DCC. XXVIII.

IN  
 ACADEMIAM PATRIAM DIGRESSVRO,  
 DISSERTATIVNCULA BREVI  
 de DOCTORE, quem vocant, JO. FAVSTO,  
 CIRCVLI WITTENBERGENSIS  
 OLIM HABITATORE,  
 PRAEMISSA,  
*pio ac benevolo precatarr animo*  
**M. CHRISTIANVS HENR. WEISSIVS.**

Gymn. Friederic. Illustr. Director.

*ALTENBURGI.*

Litteris JOANNIS LUDOVICI RICHTERI, Typogr. Aul.



**E**X nostro amplexu jam & sinu, WICHMANNSHAVSI  
nobis Dilectissime nostrique Amantisime, abitum TIBI  
paranti faustissima quaevis & prosperrima ominaturus  
in Doctoris, quem vulgo vocant, Johannis Fausti, praestigiato-  
ris famosissimi, forte incido recordationem, in cuius historiam  
pauculis nunc versiculis inquirere animus est. Invitat ad hanc  
tractationem & auspicati nominis significatio, & ipsius homi-  
nis in Wittenbergensi, quam TV patriam agnoscis, provincia  
domicilium. Stupeat forte hic aliquis & miretur, quod infau-  
stissimi ego Fausti nomen laeti quid habere affirmem, super-  
stitionis multorum auribus moestum profus & execrable : in-  
dignari etiam posset ex urbe Wittenbergensi unus & alter, quod  
profligatisimae istum malitia nebulonem, hominem, in quo  
humani nihil fuerit, necromantiae, incantationum, artiumque  
Colchicarum & Thessalifarum magistrum, Furiarum quar-  
tam, & horrendam Orci victimam jure quasi postliminii in re-  
gionem illam rursus introducere audeam de virorum doctissi-  
morum sententia jam pridem exinde exturbatum. Illis quid  
respondeam in promtu est. Fac, pone, finge fuisse Faustum  
istum homuncionem perditum & nefarium; mores tamen ipsi-  
us communem vocabuli notionem contagione quadem pol-  
luere nequeunt: num vero injuria in Wittenbergensi agro ante  
duo haec circiter secula habitasse perhibeat, infra videbimus.  
Nemo fere est in nostra Saxonia, non dicam eruditorum; sed  
de vulgi etiam faece qui ineptissimum illum de Johannis Fausti  
vita & morte horribili a Georgio primum Rudolphi Wide-  
manno publicatum; mox Joh. Nic. Pfitzneri Medic. Doct. an-  
notationibus Norimbergae auctum, & anno hujus seculi unde-  
cimo in octonis rursus editum, & in compendium tandem ab  
aliquo (a) redactum Lipsiae & Francofurti proximo anno  
rursus impressum ignoret libellum. Provocatur in illa scripti-  
one paissim ad Fausti curriculum manu ipsius exaratum, quod  
famulus ejus, Christopherus Wagnerus, cum quibusdam, quibus  
is in vita familiariter usus esset, communicaverit in bibliotheca  
quadam repertum. Sagaciori statim judici fraudis inde suspicio  
nascitur, quod bibliotheca, unde hic codex fuerit, non indica-  
tur. Libellus est ineptiarum & nugarum quisquiliis plenissimus,  
de quo utrum bili movenda; an risui aptior sit, dubitari posset,  
quorum tamen neutrum meretur. Istam narratiuncularum pro-  
digiosam farraginem in Anglia primum consarcinatam prodi-  
isse Humphredus Pridaeus peruidere tentat. (b) Colluvies  
ibi visitur rerum de Alberto M. Trithemio, Cornelio Agrippa  
Netteshemio, aliisque a Gabriele Naudaeo (c) defensis; item  
de Zytone, petulantissimo praetigiariis inter Bohemos artifice,  
traditarum inquinatissima. *Disputationem de Fausto Praetigiatore*  
Witten-

Wittenbergae Joh. Georg. Neumannus, magnum postea ecclesiac  
purioris lumen, anno superioris seculi octogesimo tertio ha-  
buit, in qua vixisse hunc olim Lutheri temporibus Faustum de-  
monstravit. Quotquot de ipso accuratius judicare voluerunt, ad  
negandum, hujus nominis unquam in Saxonia fuisse hominem,  
sunt propensissimi, nisi Joh. Manlius in locorum Communium  
collectaneis, (e) Faustum hunc de Kundling, quod parvum in  
ducatu Würtenbergensi sit oppidum, notum sibi fuisse testare-  
tur. Referunt scenae istius imaginae ortum plurimi, imprimis  
Joh. Conr. Dürrius, Altdorffensis Academiae Professor, in epi-  
stola, quam inter Amoenitatis literarias Vlmae foras dedit  
Schelhornius, (f) ad Joh. Faustum inter primos artis typogra-  
phicae repertiores memorabilem. Prodigiosas de ipso fabulas  
ex imaginibus absurdis sub initium & finem librorum istis tem-  
poribus addi solitis prognatas esse putat. Talia tamen imagina-  
tionalium terriculamenta, in libris a Joh. Fausto illo aere exscri-  
ptis inveniri tabularum rei literariae publicarum Lipsiensium  
autor peritia in rebus ejusmodi incomparabilis negat. (g) Ad  
Faustum Socinum, infelicissimam haeretis auctorem, referunt ali-  
qui; quanquam frustra. Ad verum proprius accessit nemo,  
quam Vir Summe Reverendus, Friedericus Bierlingius in Com-  
mentatione de Pyrrhonismo Historico: (h) fuisse, inquietus,  
circulatorum & praefigiatorem, qui nugis suis ludibria fecerit plebi, atque  
per varias urbes & terras circumfiratur, Conr. Gefnero & Joh. Vie-  
ro non male in scholasticorum vagantium numerum relatum. Et sic  
est: fuit revera Iohannes Faustus Kundlingae in Svevis natus  
plurium olim academiarum, & inter illas Lipsiensis quoque &  
Wittenbergensis civis, nequitarum architectus audacissimus, ve-  
terator vetulus & consummatissimus, jaicator rerum mirabilium  
omnemque excedentium fidem invercundus, agilitate praefig-  
iatoribus, agyrtis, circulatoribus, pyrophagis, histronibus  
& id genus aliis deceptionum professoribus confusa oculis  
hominum illudere solitus, domus in praefectura Mühlber-  
gensis Auffigae dubito, an Schirmenitii possessor, Caroli V. im-  
peratoris post cladem Joh. Friedericici, Principis Saxonie Electo-  
ris, ad Mühlbergam, & Ferdinandi I. regis per triduum hospes,  
ex cuius propinquitate Laurentius Faustus, Schirmenitiensis con-  
cionator, Stemmatographiam stirpis Saxonicae, & urbis Misnae  
annales literato dedit orbi (i) Erat illo temporum tractu in  
more positum nomina Germanica Latinis mutare, unde ipsum  
prius Wohlfarth; vel simili nomine dictum esse credibile est.  
Cum in dolio vini ex cella vinaria ab Auerbachio dicta Lipsiae ab-  
equitaret, quod anno seculi sexti decimi quinto super vicesimum  
accidisse, pictura primo introeuntibus in cellam istam conspectu  
opposito in fornice sese offerens ostendit, Lipsiae studiis literarum  
operam



6214955

operam adhuc dedisse veri habet similitudinem. Wittenberga non adeo procul cum habitaret, Wittenbergensis in Saxonibus, & Würtenbergensis inter Sveos regio facile potuit in historia illius confundiri. Specimen vanissimae jaestationis singulare de ipso id est, cum Melanchthoni minaretur se effecturum, ut omnes ollae, ubi cum convictoribus prandere vellet, sursum evolarent per caminum: quod ipse tamen cum contemptu a Philippo auditus praestare non potuit. (k) Latius haec deducere schedae hujus angustum non sinit intervallum; nec tanti res est, ut elaborare magnopere in illa fas esse videatur. In inanibus Johanni Fausto suum quondam consumptum est studium, qui, dum alius imponere studuit, seipsum felicell ex occupationibus ineptisimis voluptatem quaerens & fructum, O! quanto is, quoefo, felicior est & faustior, qui in virtute & animi cultura omnem prosperitatem sitam esse intelligit. TIBI, mi WICHMANNSHAVSI, quod veraciter & ex animo dico, TVA, quam per triennium fere nobis probasti, pietas, probitas, sedulitas, candor, morumque elegantia vitam promittit prosperam, successus rerum optatos, & jucundissimum honoris ac laudis fructum. Superasti aetatis mensuram scientiae modo, classicis auctoribus plerisque intra tam breve tempus pellectis, styloque ad nitorem non vulgarem excuto. Amavi TE semper, quamdui nosse lieuit, TIBI que consulere recte, ut literarum praemonstrator, & in vita horatorem ac monitor, serio studui. Abis nunc a nobis; sed memoria TVI, amor & studium intra nos permanebit constanter. Insta, urge, & recta ad summum doctrinae, in quo PATER, dum vivebat, Excellentissimus; & in quo Menckenii, a quibus maternum ducis genus, eminuerunt, hodieque eminent, fastigium grassare via. Implebis, satis scio, implebis spem & vota nostra; nec castam illam & veram, qualis in TE est, pietatem divina destituet clementia. Nostri memoriam serva; qualem me esse expertus es, tales pronuncia: quod praefens fecisti praefensi, absentem quoque ama & B. V! Scribebam Altenburgi, d. XIII. Cal. April. A.R.S. M. DCC. XXVIII.

(a) Sub nomine aenigmatio eius Christlich Meynden.

(b) Hist. V. & N. Test. P. I. L. IV. p. 221, in notis.

(c) Gabrielis Naudaci Apologia magnorum virorum criminis magiae falso accusitorum Hagae Com. prodidit M. DC. LXXIX. in 8.

(d) De Zytone v. Boregkii Annal. Bohem. P. I. f. 341.

(e) Manilius p. 38.

(f) v. Schellhorn, Annoctit. Liter. T. V. p. 50. Recensentur in Act. Erud. Lips. Ao. M. DCC. XXVI. mense Sept. p. 398.

(g) v. Novell. Erud. Lips. M. DCC. XXVI. N. LVI. p. 549.

(h) Bierlingius de Pyrrhonismo Historico p. 158.

(i) v. Laurent. Fausti Stentimatogr. Sax. p. 192. Ipsum adscripsisse locum, si libri copia fuisset.

(k) v. Bierlingii loc. citat. p. 173, in notis.

Pon 2f 4955, FK

ULB Halle  
004 870 492

3



10



**FAVSTITATIS**  
**OMNE GENVS**  
**I V V E N I**  
**GENERALIS, INGENII MORVMQUE**  
**NOBILITATE PRAECLARO,**  
**IOHANNIBVRCK-**  
**HARDO**  
**WICHMANNSHAVSIO,**

Wittenbergensi,  
EX GYMNASIO FRIEDERICIANO ILLVSTR.  
QVOD ALTENBURGI FLORET.

d. VIII. Cal. Apr. A. O. R. M. DCC. XXVIII.

IN

ACADEMIAM PATRIAM DIGRESSVRO,  
DISSERTATIVNCULA BREVI

de DOCTORE, quem vocant, JO.FAVSTO,  
CIRCVLI WITTENBERGENSIS  
OLIM HABITATORE,  
PRAEMISSA,  
p[ro]prio ac benevolo precatur animo

M. CHRISTIANVS HENR. WEISSIVS.

Gymn. Friederic. Illustr. Director.

ALTENBURGI.

Litteris JOHANNIS LYDOVICI RICHTERI, Typogr. Aul.



Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8

Farbkarte #13

B.I.G.

